





1710.

1. Boden, Henricus: De legalis, catholicis communis doctorum
erroribus
- 2¹²⁴ Bodinus, Henricus: De praescriptione ex solo temporis
lapso procedente. 2 Bndl. 1710. n. 1750
- 3²¹⁶ = Bodinus, Henricus: De jure circa infaniam, ejusque
inter christianos abusa 2 Bndl. 1710. n. 1752
4. Gasser, Simon Petrus: Programma publ. de jure publico
Romanorum, quatenus principia ejus in jure civi-
tatis vitantur. . . exponit. . . et futuras lectiones
publicas est tit. ff. de origine juris
5. Gaebcke, Ruden Ottomar: Disputatio anatomica. charac-
teris vitiosis normis artificium curandi praesentiam
alibi veram
6. Gotsching, Kasper: De suspitione
- 7¹²⁴ = Gotsching, Nic. Hieronymus: P. Trebatius Testa
Fictus injuriis tam aeternam quam recitationem hanc
forum liberatus.

- 7^{1/2} = Guntlingius, Nicolaus Hieronymus: Schematismus criticae
juridicae, quo Trebatius Testa Testes ab injuriis
tam veterum quam recentiorum auctorum liberatur.
- 7^{1/2} = Fendler, Gualter Augustus: Nicolai Hieron. Guntlingii
Testi C. Trebatius Testa Testes, ab injuriis veterum
atque recentiorum scriptorum recessit. opus praefationem de Testis Romanis illustribus . . . exem-
plis adjicit et singularia quaedam de Trebatio an-
notavit. 1736
- 8^a = Luderig, Francus Petrus: Germania princeps post-Caro-
lingica sub Conrado I., Orientalium Francorum rege. 2888.
- 8^a = Luderig, Francus Petrus, de: Conventus juris publici
de Germania principe Post-Carolingica. sub Conrado I.,
Orientalium Francorum rege 1756.
- 9^a, b. c. = Luderig, Francus Petrus: Occidentales Hispani non
cum I. R. imperio 3. 5. 6.

10^{a²⁷} Ludovici, Jac. Fredericus : De summe appellatae.
2 Blatt.

11^{a²⁸} Ludovici, Jac. Fredericus : De vitiis reali et personalis.
2 Blatt. 1710 : 1759

12^{a²⁹} Ludovici, Jac. Fredericus : De muliere cambiantē
3 Blatt. 1710, 1754 : 1748

13. Stahl, Georgius Ernestus : Dissertatio inaug. med., quae
affectus pectoris . . . publico examini subiect.

14. Stahl, Georgius Ernestus : De officio medici circa casus
chirurgicos. dictos

15. Stahl, Georgius Ernestus : De fine mensurae iustis mor-
borum variorum appetitus.



Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA

DE LEGATIS,

EXHIBENS COMMUNES

DOCTORUM ERRORES,

AD DISSERT. XVI.

MEDITAT. INSTUT. JUR.

Beati DN. de RHEITZ,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIE, MARCHIONE BRANDENBURGICO

AC DUCATVS MAGDEBURG. GUBERNATORE &c &c.

P R Æ S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ET SCTO FAMIGERATISSIMO

DN. HENRICO BODEN,

AVGVSTISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS REGIM.

ECCLES. IN DUCAT. MACDEB. CONSIL. ET PROF.

JUR. ORD. N. LONGE CELEBERRIMO,

PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO,

IN ILLUSTR. FRIDERICIANA,

Die Septembr. Anni M DCC X.

defendet

AUGUSTUS WILHELMUS de LÜDER,

EQVES MARCHICVS.

Literis Johannis Jacobi Krefsi, Acad. Typogr.

10

DE L'ÉGLISE
EXHIBITION

MEDICAL INSTITUTION
DE L'ÉGLISE

EXHIBITION
PRINCIPAL

DE L'ÉGLISE
EXHIBITION

EXHIBITION
PRINCIPAL

EXHIBITION
PRINCIPAL





AD POSIT. I. II. III. IV.



Uemadmodum hereditas denotat u-
niversitatem juris activi & passivi à
defuncto relictæ, sic heres ille dici-
tur, qui in illud universum jus succe-
dit sive solus, sive cum aliis. Unde
facile apparet, quomodo talis univer-
sali successor differat ab eo, in quem
titulo aliquo singulari veluti emti, do-
nati &c. res, vel etiam universitas rerum e.g. Grex est trans-
lata, quod non satis commodè ab illustr. Autore per verba,
ADMINICULO DEFUNCTI exprimitur. Neque alle-
gata *L. 42. de R. I.* ad hunc scopum pertinet, utpote quæ de
poena temerè litigantium tantum agit, & decidit, quod,
quamvis heres in universum jus defuncti succedat, tamen
ille tam quoad expensas litis, quam quoad hæc negotia,
in quibus inficiando lis crescit, excusandus sit, si ex igno-
ran-

rancia facti probationem exegerit, ita ut talis conventus e.g. ex damno L. Aquiliz, vel ex deposito miserabili, propter inficiationem non in duplum, neque à tempore litis contestatæ, sed demum à tempore factæ probationis, in expensas condemnari debeat, sed ex justa ignorantia excusandus sit. Secus quam ille, qui ex ignorantia facti antecessoris alium convenerit; hunc enim non excusari, si postmodum appareat actionem non competere, cum non nisi certus experiri debuisset. Qui textus quoad condemnationem in expensas, admodum notabilis, ac in praxi observandus est. Ad differentiam verò successoris universalis aut singularis plane non pertinet. De cetero, cessantibus juxta tradita Auroris hodie heredibus necessariis, differentia tamen inter heredes suos ac extraneos seu voluntarios ex omnium Dd. consensu sublata dici non potest, concesso licet liberis in potestate constitutis abstinendi beneficio; Quæ differentia potissimum hunc habet effectum, ut suus, etiam ignorans mortem defuncti, ipso jure heres existat, ita ut, licet ante declarationem super successione moriatur, tamen hereditatem ita adquisitam, tanquam ipsius patrimonium, in quoscunque ipsius heredes transmittat L. 8. C. de suis & legit. hered. Extraneus verò hereditatem non nisi aditione adquirat. Proinde suus heres ipso jure pro tali habendus sit, donec probet, se ab illa abstinuisse; Extraneus verò pro herede habendus non sit, nisi alter probaverit, illum hereditatem adiisse. Ex quo apparet falsam esse communem Dd. opinionem quam sequitur Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 34. Th. 22. cum ibid. alleg. Quod scilicet creditores, ex debito defuncti heredem suum convenientes, probare debeant factam ab hoc immixtionem, nisi præsupponas, talem conventum prorsus negare, quod unquam bonis paternis se immiscuerit,

rit, aut bona hereditaria possederit, tunc enim rectè ad beneficium abstinendi quodcumque provocare poterit. Secus si in bonorum defuncti possessione reperiatur, sine protestatione de se non immiscendo apprehensa, uti rectè decidit Autor *infra posit. IV.* Quare talis postea audiendus non est, si illam possessionem in fraudem Creditorum per jus retentionis propter illata materna excusare, & probationem, quod ultra reditus maternorum consecutus sit, in creditores rejicere velit. Cum ita ab initio hanc suam mentem judicialiter declarare, & bona paterna non nisi sub beneficio inventarii, & tanquam creditor occupare debuisset. Quo neglecto merito ad solvenda debita paterna cogendus est, juxta illa, quæ in *d. pos. 4.* optime deducit Autor.

AD POSIT. V.

Quod in hac positione dicitur de arbitrio heredis, aditionem usque ad 30. annos differendi, non eò pertinet, quasi apprehensa bona hereditaria eò usque iterum abdicare, & ita demum se declarare possit, quod ab hereditate abstinere, vel illam repudiare velit, cum juxta retrodicta ipso facto jam obligatus sit; Neque hoc locum habebit, si sciens passus fuerit, bona hereditaria ab aliis propter credita, vel alio titulo singulari occupari. Sed tantum hoc indigitatur, quod hereditatis petitio, contra illum, qui pro herede hereditatem possidet, non nisi 30. annis excludatur, cum hæc actio sit mixta *L. 7. C. de hered. petit.* ubi notandum, quod liberi à petitione avitæ hereditatis non nisi 90, imo secundum non nullos 120. annis excludantur. vid. *Philippi us Pract. inf. lib. 3. tit. 10. Ecl. 34.* Qui vero intra præfata tempora hereditatem petere intendit, multis licet annis præterlapsis, potest petere à Judice, ut exhibito ipsi inventario, certum

tempus deliberandi de adeunda hereditate concedatur,
quod tempus ante iudicis concessionem currere non incipit.

AD POSIT. VI. & VII.

Cum inventarii confectio publicam fidem vel Notarii, vel Deputatorum à iudicio desideret, sanè non cuiusvis temerarii possessoris privata designatio eundem effectum habere debet, licet illam juramento confirmare paratus sit; Cùm talis, qui illud beneficium juris posthabuit, suspicione non careat, & auxilio juris indignus sit. Proinde communis in contrarium adducta praxis præsertim Saxonica rationabiliter tales casus præsupponit, ubi nulla suspicione gravato herede, grande æs alieuum antea incognitum emergit; Ubi per restitutionem in integrum, ex generali clausula, restitutus sub juramento omnibus bonis hereditariis cum fructibus perceptis, tali succurrendum. Ex quo Dd. malè ad quoscunque qui aliena bona vel hereditatem lucri causa apprehenderunt, si postea justis petitionibus amplius resistere nequeant, generale refugium concedunt. Potius quem admodum contra tutorem, qui inventarii confectioem omisit, in litem iuratur. *L. 7. pr. ff. de admin. Tut.* ac talis pro suspecto imò infami habetur *L. fin. §. 1. C. arbitr. tut.* Sic quoque contra tales suspectos in vafores merito procedendum, dum è contrario notabilibus gaudeat beneficiis ille, qui inventarium confici curavit juxta *pos. VII.*

AD POSIT. VIII.

Quamvis legatum accessorium testamenti rectè dicatur, non satis accurate tamen ab Autore accessorium hereditatis, seu universitatis bonorum dicitur, sed potius hæc diminuit. De cetero essentialis differentia legati & fidei commissi, non tam in solo sono verborum seu verbis imperiosis & precativis, sed in eo consistit, quod legata, ex defuncti animi declaratione solenniter facta, robur accipiunt, & ita

ita in testamento relicta ab herede præstanda sint, quibus-
cunque verbis illa præstatio à testatore desiderata fuerit;
Cum ejus necessitas jure testamenti heredi incumbat. Unde
quoque est, quod legatum qua tale, non nisi testamento re-
linquisset; Fideicommissum vero sola fide heredis nitatur,
eo quod ejus præstationem heres promiserit, & relinquens
ita fidem heredis secutus sit, ita ut, hac fide, super præstatio-
ne fideicommissi defuncto data, quomodocunque probata,
nihil amplius desideretur. §. *fin. J. de fideicomm. ber.* Per
exæquationem tamen fideicommissi particularis cum lega-
to, hoc introductum, ut si hodie verbis sive precativis, sive
imperiosis relictum sit, & sive heres ejus præstationem pro-
miserit, sive non, dummodo voluntas defuncti per 5 testes
probari possit, ejus præstatio heredi incumbat. Ubi vero de
heredis fide data constat, illud simpliciter præstandum *d. §.*
ult. quod secus est in legato. Quæ distinctio apprime notanda.

AD POSIT. IX.

Quæ in hac thesi proponuntur, quamvis subobscura
sint, recte tamen sese habent, & ita eo curiosius attendenda.
Imprimis quod Romani circa leges accurati fuerint in voca-
bulis & phrasibus, ac ita inter dationem & præstationem
notabilis sit differentia.

AD POSIT. X.

Tralaticium quidem est inter Dd., differentiam inter
legata damnationis, vindicationis, præceptionis &c. prorsus
esse sublatam; quod quidem quoad competentes ad peten-
dum legatum actiones ceteris paribus seu juxta naturam
cujusque legati admittendum, uti Auctor hoc optime dedu-
cit; non vero quoad apprehendendam possessionem, ut-
pote quæ magis facti dicitur, quam Juris, extendendum.
Expresse enim in §. *II. Inst. b. r.* dicitur, quod illa comparatio,
non alium finem habeat, quam, ut defuncti voluntates vali-

diorez existant. Proinde, si juxta defuncti voluntatem, Legatarius legatum vindicationis, vel præceptionis apprehenderit, ubi scilicet in testamento scriptum: *Daß Er das legirte Stück voraus nehmen, oder so bald nach des Testatoris Tode hinnehmen/haben und behalten möge*; Interdictum quod legatorum, ad restituendam prius heredi possessionem, locum non habere, in illustri casu à principali judicio decusum, & in Camera olim Spirensi confirmatum esse certum est. Cui quoque Autor calculum suum addere videtur *in th. seq. in fin.*

AD POSIT. XI.

Ut observatio, ab Autore hic notata, insignem habet usum, ita eandem clarius explicare proderit. Scilicet si defunctus pro qualicumque debito, sive in ultima voluntate, sive inter vivos, alicui generalem aut specialem hypotheccam pro securitate debiti constituerit, eave alio qualicumque modo comperat, heres ejus, qui illam hypothecam possidet, licet alias actione crediti ut heres conventus, non ultra quotam hereditariam teneatur, *per text. hic alleg.* Tamen hypothecaria conventus compelli potest, ut vel hypothecam dimittat, vel actori ex assè satisfaciatur. Nec audiendus est, exceptione plurium coheredum, quamvis ipsi non denegandum, ut propriis sumtibus coheredes ad assistendum citari curet, vel alio modo regressum contra hos instituat. Si vero possessor rerum hereditariarum à legatario actione hypothecaria conveniatur, exceptione plurium pro solvendo illo legato coheredum audiendus est. Nec ultra quam juxta proportionem suæ, vel autoris sui hereditariæ portionis ad solutionem cogendus, proinde, si possessor hypothecæ simul heres ejus sit, qui legatum reliquit, Actori hypotheca non prodest, sed actione ex testamento idem consequetur. Contra hæc hypotheca legalis, legatario tributa, ad hoc prodest, ut qualescunque res hereditariæ ad tertium pervenerint,

nerint,

nerint, illæ nexu hypothecæ, quamvis non ultra quantita-
tem hereditariam ejus, à quo possessor rem accepit, obstri-
ctæ maneat *d. L. ult. in fin.*

AD POSIT. XII.

Supra *ad posit. IIX.* formalis differentia legati & fidei-
commisii particularis adducta est, quæ ad utriusque diversam
validitatem & probationem pertinet. Ubi vero de ultimæ
voluntatis validitate dubium non est, quoad exclusionem rei
relictæ nulla inter legatum & particulare fideicommissum
est agnoscenda differentia.

AD POSIT. XIII.

Vix casus continget, ubi de re legata, quam testator sci-
vit alienam esse, dubium occurret. Cum hoc casu modus
comparandi, vel æstimationem præstandi satis clare addi so-
leat. Facilius de relegata, quæ apud tertium oppignorata
invenitur, vel hypotheca affecta est, controversia moveri
poterit. Ubi in dubio heredem illam liberare teneri hic de-
ciditur; Si scil. oppignoratio ab ipso testatore antequam
legatum relinqueret facta, eive satis nota fuerit. Ubi vero
testator rem antea alicui legatam, postea oppignoraverit,
magis diminuendi legati causa illud factum esse præsumen-
dum, ut scil. legatarius illam luere teneatur, nisi hic probet,
rem illam ex subitanea necessitate oppignoratam fuisse,
& quidem sub certo termino, quo ipse testator eandem luere
sibi proposuerat *arg. §. 12. J. h. i.*

AD POSIT. XIV. XV.

Posthabita inutili controversia de re aliena, item à plu-
ribus legata, utpote nunquam vel rarissime indisputationem
forensem deducta, ex *posit. XV. in fine.* Illud tantum curio-
sius observandum, in quot annos juxta *alleg. L. 68. ff. ad L.
Falcid.* ususfructus in casu dubio sit computandus, quod
in æstimandis alimentis majoribus debitis quoque lo-
cum

eum inueniet, & inde alleg. textus apprime notandus.

AD POSIT. XVI.

Ut feudo legato ejus æstimatio debeatur, naturæ hujus negotii, vel rei prorsus repugnat, vel enim testator existimavit feudum (deficientibus fortè agnatis) ita legari posse, ethoc sensu rem talem ita ipsius proprium non esse nesciuit, qualis error legatum perimit per textus ab Autore *in posit. XIII.* adductos. Aut in re feudali plenum dominium sibi arrogare, & Domino feudi directum dominium intervertere voluit, ex quo dolo defuncti nullum legatorio jus oriri poterit; Quare distinctio hic ab Autore adducta, de re absolute aut certo respectu extra commercium constituta, locum non inuenit, cum sic omnes res, æstimationem recipientes, tantum certo respectu extra commercium existent, & ita rei sacræ quoque legatum subsisteret, quod ex §. 4. J. b. 1. C. P. X. de testam. omni juri repugnat. Potius res, licet certo tantum respectu extra commercium legatarii constituta, sine ullo Juris effectu legantur, solide hoc probante Struv. *in Synt. J. C. Exerc. 35. th. 9.* notabilis quoque ad hanc rem est textus *in l. 39. §. ult. ff. de legat. l. junct. l. 24. §. ibid.* Unde quoque factum, quod dum ultimus ex stirpe Comitum de Schaumburg, viduæ suæ dictum comitatum legasset, illud ab Imperatore & Statibus Imperii pro inconvenienti iudicatum, & dictus Comitatus Landgraviis Hassiæ, sine præstatione æstimationis, per Instrum. pacis Monast. ac Osnabrug. in feudum datus sit. Ususfructus autem feudi, viduæ relictus, à successore qui simul hæres est, præstandus, cum fructus feudi non sint extra commercium talis legatarie.

AD POSIT. XVII.

Quod legatum fructuum illius anni, in quo testator moritur, tacitam contineat conditionem, si quid proventurum sit, ex natura rei & alleg. *L. 1. §. ult. de condit. & demonstr.*

Ut

Ut & L. 5. de erit. legat. satis liquet, Quod vero tale lega-
tum in se pro conditionali non sit habendum, sed si legata-
rius ante maturos fructus moriatur, illorum exactionem ad
heredes transmittat, illud ex L. 25. §. ff. quand. dies legat. vel
fideicomm. cedat. & ex l. 99. de condit. & demonstr. constat.
 Utrum vero per fructus in genere legatos primi tantum an
 ni fructus debeantur, nec ne, magis juxta l. 50. §. fin. ff. de leg. 1.
 quam juxta textus ab Autore hic allegatos, utpote de hac
 materia nihil continent, expediendum, ut eo minus regu-
 la exinde formata procedat. Si verò certa quantitas fru-
 ctuum determinata sit, non adjecto vel anno vel fundo, illa
 simpliciter præstanda; adjecto vero fundo, in dubio ultra id,
 quod primo anno provenerit, heres non est gravandus per
sext. hic alleg. & licet Autor in hac pos. in fin. ex L. 51. quando. 109.
ff. de leg. 1. contrarium sustinere velit, tamen huic opinio-
ni illud, quod in L. 63. vers. quod falsum & c. eod. tit. adducitur,
 regeri posset; nisi fortior conjectura antea recensitam
 præsumtionem superet, veluti, si ita scriptum, Titio fratri
 vel viduæ n. ex 100. modios frumenti lego, qui ipsi ex redi-
 tibus fundi Tusculani solvendi erunt. Tunc enim, quod
 primo anno deficit, ex sequenti supplendum erit.

AD POSIT. XIIX.

Ex supra notato formali conceptu legatorum, quod
 scil. solennitate testamentaria nitantur, ac exinde per di-
 spositionem legis præstanda sint, fuit, quod legata non ul-
 tra modum testamenti factionis relinqui possint. Quod
 secus est in vero ac formali fideicommissio, quod scil. in he-
 redis data fide seu promissione se fundat. Unde e.g. quam-
 vis viduæ ultra filialem portionem ex qualicumque solius
 defuncti dispositione relinqui non possit *L. hac edit. l. C. de*
secund. Nupt. tamen, si liberi prioris thori moribundo pa-
 tri certam præstationem promiserint, contra illam datam
 B fidem,

fidem legis subtilitate audiendi non erunt. *S. ult. de fideicom. herid.* De cetero occasione juris accrescendi hic notandum, quod, quamvis si in diversis codicillis eadem res pluribus legata inveniat, aut ubi res in testamento alicui legata, postea per minus solennem ultimam voluntatem alii relinquatur, vel contra, & uterque supervixerit testatorem, ac ita venerit ad legatum, quod tunc inter tales tanquam re conjunctos scindatur, seu dividatur legatum, ita divisim relictum, æquo ac si eadem scriptura, vel oratione duobus simul & ita conjunctim relictum esset, qui est genuinus sensus *S. s. 7. h. i.* Nisi expresse in posteriori voluntate prior dispositio revocata fuerit, quo casu res legata illis, qui in postrema scriptura nominati sunt, tantum debetur, *tot. tit. de admi. & transl. leg.* Tamen si in duobus testamentis jure perfectis diversis personis eadem res legata sit, nulla licet facta mentione prioris dispositionis, illos, quibus in priori aliquid legatum est, pro re conjunctis habendos non esse, sed legatum illis tantum deberi, qui in ultimo testamento, per quod prius prorsus ruptum est, nominati inveniuntur, colligendum *arg. L. antep. pr. ff. qui testam. fac. poss.* Et dum in quomodocunque conjunctis, præsupposita validitate dispositionis, jus accrescendi locum quidem habet, tamen si in re tantum conjunctis deficienti onus aliquod impositum fuisse appareat, illud tanquam per jus non deerecendi ab illo, qui ex alia scriptura ad legatum venit, exigi non potest, licet in casu, ubi gravatus cum non gravato ad legatum venisset, onus ex æquis portionibus tanquam à conjunctis præstandum fuisset.

AD POSIT. XX.

Quod Autor in fine hujus Posit. dicit, valere legatum rei legatarii propriæ, in quantum hæc rei alieno subiecta sit, ut scilicet ab eo liberetur, cum ratione juris non convenit.

Cum

Cum sane aliud sit pecuniam ad debita solveuda legare,
quam rem, legatariis propriam, eidem legare.

AD POSIT. XXI.

Optime ab Autore hic declaratur, quod ubi totum esse
alicujus negotii tantum ex declaratione alicujus dependet,
uti e.g. aditio hereditatis, tunc plus valere opinionem quam
veritatem. Quomodo vero alias vel minus, vel plus sit in
veritate, quam in opinione, de eo vide Gothofred. *in not. ad
alleg. L. 15. ff. de acquir. vel omit. hered.* Illud quidem indu-
bitatum est, quod nuda alienatio rei legatæ, si constet alie-
nationem factam non esse adimendi animo, legatum non
extinguat. Quod verò regulariter heres illum adimendi
animum probare debeat, non convenit cum *L. 15. junct. L. 18.
ff. de adim. vel transf. leg. & L. 8. pr. ff. de Leg. 1.* Magis dicen-
dum, factam alienationem præsumtionem adempti legati
operari, nisi appareat ex insperata necessitate alienationem
factam esse; qua fortiori præsumptione prior, ex sola alie-
natione ducta, eliditur, in hunc effectum, ut heres osten-
dere teneatur, quod, licet facta alienatio aliquid involun-
tarii continuerit, illa tamen à testatore adimendi animo fa-
cta sit. Quo pertinent textus ab Autore allegati ex *L. 12
§. 12. & 13. de Leg. 3. & §. 12. J. b. t.* Ex quibus sic non regula,
sed exceptio fundanda.

AD POSIT. XXII.

Circa liberationem legatam vix dubitandum, per tale
legatum legatarium, si solus debitor fuerit, ipso jure liberari,
quippe ad hunc effectum, ut & ope actionis heredem cogere
possit, debitum illud pro accepto habere *L. 3. §. 3. ff. de liberat.
legat.* Et, si forte, non opposita exceptione, ex errore solve-
rit, idem reperere; Si vero ille, cui liberatio legata, simul
cum aliis debitor sit, distinguendum, utrum simul socii sint,
& iterum debitum illius, cui liberatio legata pro sua parte

pro accepto habendum. Si vero non sint socii ope exceptionis ex illo legato se tueri poterit, debito ipso in reliquorum persona subsistente, e.g. Si testator fidejussori liberationem fidejussionis legaverit, ipse debitor & confidejussores non socii, obligati manent; & legatario tantum exceptione consultum *d. L. 3. §. 3. & seq. junct. L. 8. §. 3. ibid.*

AD POSIT. XXIII.

Debitum expressè legatum in tantum utile est, in quantum aliquid utilitatis exinde ad creditorem redundare potest e.g. si illud, quod in diem debebatur *auff Tage-Zeiten* legatum sit, statim in una summa peti poterit, omniaque beneficia, ad legatum consequendum introducta, hic competunt. Quid vero Auctor per debitorem voluntarium, vel necessarium hic velit, non satis liquet. Illud tamen controversi solet; Utrum si ille, qui ex certa causa debitor quantitatis existit, similem quantitatem in genere legavit, utrumque & debitum, & legatum exigi possit, an vero unum cum altero compensandum? Ubi in hac voluntatis quæstione omnes circumstantiæ apprimè considerandæ, qualem ex.gr. respectum habuerit persona testatoris erga personam legatarii; qua occasione mentio illius legati facta; & qua testamenti parte, an forte inter alios legatarios, nec ne; item utrum summa legati & debiti plane conveniant &c. Cessantibus vero prægnantibus in contrarium moventibus conjecturis, illud, quod minimum heredem gravat scilicet, ut una solutione liberetur, præsumendum,

AD POSIT. XXIV.

De utilitate dotis, post obitum mariti viduæ restituendæ, satis dilucide in hac *Posit.* agitur, & raro in praxi de eodubia moveri solent. Sed quid statuendum, si ad dotandam inopem viduam certa quantitas relicta, utrum scil. illa quantitas debeatur etiam nuptiis non secutis, & ita hoc legatum
purum

purum sit, an vero conditionem nuptiarum contineat, sat
 controversum est. Posterius communiter Dd. placet per
L. 71. § 3. ff. de condit. & demonstr. Verum hic textus cum si-
 milibus, cum ad promovendum matrimonium indotata
 puella, vel alterius vidua pertineat, justam applicationem
 non recipit, si loco amplioris commodi ipsius testatoris vi-
 dua secundo nubere volenti, dotis nomine aliquid sit re-
 lictum. Tunc enim tale legatum promotionem matri-
 monii non continet, sed vidua exigenti pure debetur juxta
 Bart. *ad d. L.* Proinde in casu, ubi aliquis herede instituto u-
 nico filio, cui pupillariter substituerat, matri vero illius filii
 in eventum hujus substitutionis omni usufructu relicto cum
 hac clausula: *Dasern aber dieselbe mit dieser ansehnlichen provi-*
sion nicht zu frieden / und lieber heyrathen wolte / So wolte der
Testator nicht daß ein Fremder auff seinen Gütern herrsche; Son-
dern es solte seine Wittib gegen Ihr zum Heyraths-Guthe eines
für alle zugebende 4000. Rthl. dieselbe denen substitutis abzutret-
ten und zu räumen schuldig seyn. Postea vero filio & marito
 mortuis, vidua, ex duplici luctu brevis vitæ residuum præsu-
 mens, sese declaraverat: Sie wolte Gott zu Ehren/ und zu ge-
 treuen Andencken ihres verstorbenen Ehemannes ihren Wittbens
 Stand bewahren/ doch aber gegen Räumung der Güter lieber die
 4000. Rthl. nehmen / und ihr Leben in Einsamkeit beschließen/ als
 in Weiltläufftigkeit bleiben. Contra substituto herede hoc
 recusante, nisi ad alia vota transiret, responsum: Daß die
 Witbe mit ihrem Suchen zu hören/ und ihr ohnerwartet ihrer ander
 wärtigen Heyrath die ihr vermachte 4000. Rthl. zu zahlen.

AD POSIT. XXV.

Si alicui 100. thaleri von der Zeit des Testatoris Absterben
 vorhandenem Baarschafft legati essent, tantundem vero pecu-
 nia numerata in hereditate non repetiretur, quantumcun-
 que aderit, heres præstabit, nec ultra obstrictus erit. Si
 vero 100. thaleros in certa arca reconditos testator legave-

rit, in illa vero arca hi non inveniuntur, in alio tamen loco, hi debebuntur, cum falsa demonstratio non obsit legato, dummodo dubium non sit, de iisdem 100. thaleris testatorem sensisse. Si enim in alia moneta, aut in plane differenti summa pecunia in alio, quam descripto loco, inveniatur, legatarius ob incertitudinem nihil perere poterit. Cum de furto vel casu, qui rei legatae contigit, heres non teneatur iuxta hic recte deducta

AD POSIT. XXVI.

Quod sublato principali non debeatur accessorium, certum quidem est. Utrum autem fundo instructo, vel cum instrumento legato, instrumentum sit accessorium, ac ita, alienato ab ipso testatore fundo, seorsim peti possit, nec ne, inter veteres non convenisse patet ex *L. I. cum collat. L. s. ff. de instr. vel instrum. leg.* In quarum prima Ictus Paulus vult, quod, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus sit, intelligi quidem duo legata esse, alterum scil. fundi, alterum instrumenti, sine dubio ad hoc, ut, praestito licet fundo, legatarius de instructo, vel instrumento separata actione experiri possit. Attamen ex sententia defuncti fundo alienato instrumentum non deberi. Cui Pauli sententiae nominatim contradicit Labeo in *L. s. eod. iustitius*, quod, legato fundo & instrumento. Das Guth und alles was bissher dazu gehöret/ und dabey gebraucht worden. Vel fundo instructo, hoc est; Das Guth mit seiner volligen darauff befindlichen Ausrüstung; & fundo ab ipso testatore alienato, instructum ac instrumentum seorsim peti possit. Secus si scripserit fundum cum instrumento: Das Guth mit aller seiner Zugehör. Tunc enim alienato fundo, instrumentum non deberi. Sed cum nostris temporibus vix casus contingat, ubi post testamentum conditum legata praedia alienentur, & de ejus accessoriis nulla declaratio testatoris adsit, hanc controversiam inter minus utiles referimus. AD

AD POSIT. XXVII.

Quod, grege legata, etiam unica ex illa superstes ovis legatario debeat, eo, quod singulæ simul videantur legatæ. certum est ex § 18. b. 1. & l. 21. & 22. ff. de leg. I., non vero exinde sequitur in una ove conservari gregem, potius in d. l. 22. expresse dicitur, quod ita deserit grex esse. Proinde, qui gregem ovium in alienis fundis pascendi, olim prædio suo competens, per longum tempus unam ovem alendo, exercere sibi præsumserit, gregis iura se non conservasse animadvertet, neque procedit argumentum desumptum ex Juribus collegii, quæ per unum conservari possunt, cum ille unus ex collegio nomine hujus omnia ad collegium pertinentia expedire, & omnium vices supplere possit. Quod secus est in una ove respectu gregis, quæ non nisi ad minimum in decem ovibus inseparata caterva & proprio pastore pascenda constituitur & conservatur arg. l. 3. p. de abig.

AD POSIT. XXIII.

Adjuncta & in ædificata Domino fundiratione domini cedere certum est. Utrum vero hortus e.g. legatus, qui postea hortus esse desit, & eidem magno sumtu ædificium super impositum in legatarium transeat, magis dubium est. Si enim simpliciter fundi seu areæ à testatore facta sit mentio e gr. Den an einem gewissen Orte gelegenen und dem Testator angehörigen Platz. Tunc omnia ejus augmenta legatario cedunt alleg. l. 44. §. 4. de leg. I. junct. l. 24. §. 2. Quando verò rei legata forma ab ipso testatore ita mutata est, ut quasi per specificationem in aliam denominationem transierit, magis est, ut non debeat vid. l. 49. §. 2 ff. de leg. 3. Cum sic mutata appareat testantis voluntas d. l. 44. §. 4. in fin. De cætero consveta illa phrasis Erb/Nied und Nagelfest in praxi usitata, augmenta fundorum magis obscurant, quam declarent, cum nonnulla usui alicujus rei immobilis necessario inser.

inserviant, & sic pro accessorio ædium habenda sint, quæ neutro horum modo eisdem coherent, & contra aliquid clave vel terra affixum reperitur ad ædes plane non pertinens. Unde prædium vendito cum clausula: Mit aller Zubehör / was darinnen Erd-, Nied-, Nagel- und Mauerfest sich befindet. Und der Verkäufer in einem Hintergebäude zu seinem privatgebrauch eine Brandtwein-Blase und großen Braukessel zu menagierung des Feuers mit Mauerwerke befestigen lassen recte decisum, quod non obstante der Erd- und Mauerfestigkeit / illa pro adjunctis & partibus ædium in emtorem non transcant.

AD POSIT. XXIX.

Hodie quidem casus vix contingent, ubi servus peculium legatur, quamvis in hominibus propriis casus dabilis sit, ut servus cum peculio alii legeretur: Daß ein Eigenbehöriger mit allem was Er besizet / an Jemand vermachtet werde. Ex hisce tamen & similibus amplis Romanorum legatis, servis ipsorum relictis, quorum multa sit mentio in materia legatorum præsertim in Digestis apparet, quod servitus in bello captorum, & ex illis natorum non in crudeli vel fordita subjectione constitit, sed tales quidem crediti sint, hætenus omnia ad nutum Dominorum possidere. Qui tamen illis pro cuiusque ante captivitatem conditione aut benemeritis, liberalem benignitatem multis modis demonstrabant. Quemadmodum hodie primarii militum Duces, capti ab hostibus, honestissimè tractari solent, quamvis interim liberi non sint.

AD POSIT. XXX.

Quid in proprio debito legato juris sit, supra abunde explicatum. Hic autem ex L. 75. §. 1. de Leg. I. potissimum quaeritur, quid dicendum, si alteri quod Titius debet, legatum sit, & Titius nihil debeat, ubi ex dicta L. distinguendum; Vel quantitas est legato annexa, vel non. Posteriori casu

296

æque nullum erit legatum, ac si ita legatum esset, quod ipse Titio debeo, heres eidem solvat. Si quidem vero quantitate adjecta ita legaverit, decem, quos Mævius mihi debet, Titio lego; Mævius verò nihil debeat, aut quod debebat, ipse Testator exegit, etiam nullum est legatum *d. L. 75.* Nisi legatarius probeat illud, quod tempore conditi testamenti debebatur, testatori citra hujus adimendi animum solum esse; De quo videatur supra *ad Posit. XXI.* Licet, si ita legaverit, decem, quos ipse debeo, Titio ego, & Titius tale existens debitum probare non possit, legatum sit utile, & per adjectam falsam demonstrationem non vitietur *d. L. 75 §. 1. in fine.* Quod Autor plane contra mentem hujus textus in fine hujus posit. ad debitum tertii alicui legatum trahit; In quo casu contrarium obtinere ex jam dictis apparet.

AD POSIT. XXXI.

Aliud in legato facti ab herede præstandi singulare videtur, quod illud tacitam conditionem amittenda hereditatis contineat, nec sicuti alia obligatio facti præstatione interesse solvatur. Proinde cum heredi Titio injunctum fuerat Annam ducere, ille vero duxerat aliam, Annæ dotem juxta mores, vel statuta provinciæ convenientem, loco ejus, quod interest, solvendam offerens, heredi ab intestato, ad ducendam Annam parato, recte pro hoc ad totam hereditatem cum fructibus consequendam contra scriptum heredem judicatum est.

AD POSIT. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Cum supra dictum sit, si Testator rem alienam legavit, quam credidit esse suam, nihil deberi, facile sequitur, evictionem certi individui legati (quod speciem Jcti vocant) ab herede non præstari. Ubi verò ex pluribus in genere unum corpus legatum, & ab herede præstitum, ab alio vero evictum sit, nondum satisfactum est voluntati defuncti, quippe
C
qui

qui voluit, ut heres prospiciat, legatarium verum dominium consequi, quo nondum facto aliud præstabit. Quando vero super qualitate ejus, quod in genere legatum est, dubium occurrit, tale præstandum, quale testator reliquit, & sic jus plurarum individua in hereditate reperiantur, nec optimum, nec pessimum, sed mediocre præstandum, æque ac in certa quantitate legata, & in quocunque alio debito generis, dummodo ex communi natura rei, vel ex conditione legatarii aliisque circumstantiis ad probabilem certitudinem rei præstandæ deveniri possit. Si enim e.g. fundus vel domus non adjecta qualitate vel quantitate alicui legata sit, & non appareat, de qua re testator senserit, nihil debebitur. Secus si ipsi legatario optionem inter similes relictas res legavit, quo casu rei à legatario semel electæ evictionem non præstari existimamus. Cætera prolixa commentatione & variis distinctionibus non indigent.

AD POSIT. XXXV.

Ut legatum vel fideicommissum exigi possit, sufficit Legatarium super vixisse Testatorem, licet ante aditam hereditatem mortuus fuerit: Cum dominium aliave jura ex legato competentia, ipso jure in legatarium devoluta, in ejus heredem transeunt. Cætera quæ hic habentur magis ad subtilem speculationem pertinent, quam quod usum habeant.

AD POSIT. XXXVI.

Ubi inter illos, qui jure pares sunt, electioni locus est, res optimè sorte dirimitur, quod & in dividenda hereditate commodè fit, ut partes constitutas juxta primam secundam pluresve sortes, quas quisque heredum sortitus est, eligat, quam partem potius habere velit. Item si plures ejusdem criminis socii mortem meruerunt, sufficiat verò in uno exemplum statui, rectè omnes in periculum mortis deducuntur,

ur, ut demum forti committatur, quis illorum funesto fati
perire debeat, arg. textuum hic adductorum. Ubi vero ad-
modum speciosa dubia pro utraque parte ex diversis funda-
mentis militent, ut iudex ancipiti iudicio ducatur, potius res
litigiosa dividenda, quam casus pro amico admittendus. *Arg.*
§. ult. §. de vulg.

AD POSIT. XXXVII. XXXIIX.

Licet constitutio, quo se §. 27. *§. de Legat.* refert, in Co-
dice repetita prælectionis non reperitur, sufficit tamen ejus
tenorem hic pro lege confirmatam esse, cum institutiones
eandem auctoritatem habeant *L. fin. §. 23. C. de veter. jur. e-
nucl.* Neque cum Autore dubitandum, casum, ubi incer-
tæ personæ aliquid relinquitur, extra piam causam paupe-
rum &c. non facile esse dabilem, cum de tali incertitudine
permanente hic non agatur, quæ re vera nemini certum jus
ad petendum legatum tribuere potest, nisi Reipubl. inter-
esse subit, ex quo huic per tale legatum jus quæsitum esse ap-
pareat, & piæ causæ superstitio illud sustineat. Unde in ca-
su, ubi Nobilis aliquis Gwestphalus, in militiam tendens, Frä-
tribus ac Sororibus æque ac Descendentibus desitutus, in
genere pauperibus 2000. thaleros legaverat, ac expeditione
Belgica vulneratus, Antverpiæ occubuerat; ubi dicta ejus
dispositio inter alias ipsius res inveniebatur, mota lite, ut-
rum legata summa pauperibus Antverpiæ; an miserè vul-
neratis ejus exercitus, sub quo militaverat, (pour les invali-
des), an verò pauperibus, ubi hereditas sita, & testamentum
conditum, præstanda sit, olim ex Facult. Jur. Rintel. rectè re-
sponsum, ex hoc legato propter evidentem incertitudinem
ac generalitatem nullis pauperibus actionem competere,
potius Relp. sub qua hereditas sita, jus illud exigendi conce-
dendum, ut ejus dispositione ad piam causam impendatur
Quando ergo in *dict. §. 27. de validitate legati incertis per-*

sonis relictæ disponitur, illud de illis casibus intelligendum, ubi quidem testator personam nondum novit, quæ tamen mox est satis certa futura e. g. qui cognatam ipsius Annam ducturus, vel quisquis curam funeris sui habiturus sit, &c. quale legatum olim inutile erat, ex allegata tamen constitutione corroboratum, cum hic ipsa causa legatarium satis demonstrat; quamvis in illis negotiis ubi personæ probata fides ac industria requiritur e. g. in tutelæ datione, talis dispositio licet etiam testamentaria inutilis sit.

AD POSIT. XXXIX.

Circa instituendum posthumum curiosius observari meretur, quanta iustitia ac moralitate Romani ultimas voluntates subsistere voluerint, ut nec illas, quæ vel præsumptione turpitudinis gravari possent, admittere voluerint, & sic ubique appareat, ultimam dispositionem continere defuncti voluntatis justam sententiam. Ubi primo præmonendum, posthumum in hac materia vocari, qui tempore conditæ ultimæ voluntatis nondum natus est, licet postea ante mortem testatoris natus fuerit; De quo veteres dubitabant, utrum & quemadmodum ille, utpote quem testator nondum noverat, heres institui, aut ei aliquid legari possit. Ubi tandem, cum tale beneficium intuitu genitorum in ipsum conferri possit, placuit, ut, quemadmodum ipsius testatoris, sic & alieni posthumi heredes institui, vel eis legatum relinqui possit, dummodo nulla turpitudinis præsumptio subsit, qua turpitudine in specie laborare dicitur institutio posthumi alicujus alii nuptæ foeminae, *L. 2. §. 1. ff. de lib. & posth. hered. instit.* Scilicet. Siquidem ullo modo talis institutio vel legatum præsumtionem facere possit, quod intuitu propriæ procreationis illud beneficium in talem posthumum collatum sit. Cum enim in honesto matrimonio liberi patri nascantur, non matri, testator, alicujus nascen-

nascendis benefacere volens, patrem honestius nominare
debebat, quam matrem, à qua liberi legitimi non denomi-
nantur. Neque enim alleg. textus secundum Autoris men-
tem tantum intelligendus de posthumo ex foemina, cuius
matrimonium ob cognationem, vel ob religionem est pro-
hibitum, sed verba textus de quavis alii nupta satis clare con-
cepta sunt. De cætero ex *pr. f. de honor. possess.* ut & ex §.
28. f. de leg. non liquet, quod sine adiectione particulæ *NON*
absurdum illud emergat aliquem ex propria uxore alienum
posthumum relinquere posse. Tantum in *dict. §. 28.* illud
innuitur, quod posthumus ex tali foemina, quæ plane uxor
esse non potest. e. g. Sanctimonialis institui non possit, cum
& talis institutio turpitudinem committendam contineat.

AD POSIT. XL.

Distinctio inter nomen proprium & appellativum pla-
ne huc non quadrat, quomocunque enim vel legatarii
persona, vel res legata à testatore denominata sit, dummodo
de certa persona vel re ipsa constet, non vitari legatum, satis
perspicue decisum in §. *29. f. de leg.* si vero quis sub alia com-
muni denominatione de re plane alia sensisse dicatur, illud
tanquam nimis aberrans, & incertum in ultimis volunta-
tibus admittendum non esse in *alleg. L. 4. de leg. 1.* deciditur.

AD POSIT. XLI. XLII.

Eodem modo de falsa demonstratione & de falsa causa
tenendum, quod si de re legata satis constet, ac non appa-
reat, ex cessante causa animum legandi cessare, quod in dubio
non præsumendum legatum non vitari, quod tamen ad
quamcunque falsam causam, & ubi de alia mente testatoris
probabilis conjectura adest, non facile extendendum. Unde
cum aliquis Senex juvenem suam uxorem heredem ex asse
instituerat ex adjecta causa *wegen der Ihme erwiesenen sonder-
lichen ehelichen Eren und Liebe;* postea verò cognati defuncti
mari-

mariti probabant, illam in absentia mariti male de ipso locum
curam, ejusque mortem sæpius anhelasse, aliisque facilem ac
suspectum accessum præbuisse, recte judicatum: Das diese
Wittbe wegen ermangelnder wahren Ursache ihrer im Testament
geschehenen Einsetzung für ihres verstorbenes Mannes Erbin nicht
zu wachen / sondern dessen nächste Angehörige / zu solcher Erbschaft
zulassen.

AD POSIT. XLIII. XLIV. XLV.

Quæ in hisce positionibus traduntur vera quidem, sed de
ad hodiernum usum vix applicabilia, aut non controversa
facis apparent, ut ulteriori ad notationem non indigeant.

AD POSIT. XLV. in fin.

Circa legatum pœne à testatore in hunc finem relictum,
ut heres ad evitandam ejus solutionem instigetur ad factum
probrosam, ipsi sub pœna solvendi legati injunctum, exse-
quendum, rectè Autor monet, quod tale legatum, licet he-
res voluntati defuncti non satisfecerit, præstandum non sit,
quamvis aliàs legatum sub turpi conditione (scilicet ab ipso le-
gataro adimplenda) relictum, præstandum sit, & conditio
pro non adjecta habeatur *L. 20. §. 26. ff. de cond. & demonstr.*
Cujus occasione notandum, quam solliciti fuerint Legum
Romanarum Conditores pro impedienda profanatione no-
minis Divini, & evitandis otiosis juramentis ut conditio-
nem juramenti (etiam si super re licita præstandi) pro turpi
judicaverint, decidendo, illud quidem, quod testator fieri
vel non fieri voluit, ab illo, cui hoc injunctum, adimplen-
dum, hanc tamen ad illud juramento promittendum, non
adigendum, sed conditionem jurandi pro turpi, ac ita pro
non adjecta habendam esse, cum alio modo ad illud solven-
dum compelli possit. Ex quo pleraque juramenta ab offi-
ciariis exiguntur, ut & contractibus adjici solita, aliaque plurima
in tyrannica praxi recepta in ruborem hodierni præsentis
Chri-

Christianismi corrumpunt, dum potius ex Salvatoris testamento ali-
cujus asserentis, sic vel non ejus observatio committenda,
quam super eo juramentum exigendum, quod de malo esse
deprædicat, scil. tam de malo exigentis quam illud præstan-
tis. Notandum quoque conditionem virgini vel alienæ
viduæ adscriptam, si non nupsit, aut si ex certa alicujus non
parentis arbitrata nupsit, pro turpi habendam esse, L. 22.
§ 6. in fin. L. 72. § 4. & 5. junct. l. 28. pr. de condit. & demonstr.
scil. quatenus tale legatum ad nuptias impediendas tendit,
secus, si talis conditio pro mere casuali sit adscripta e. g. Das
fern dieselbe keine Gelegenheit sich zu verheyrathen antreffen würde.
Quo pertinet textus in Nov. 22. c. 44. § 8. Sicut & adjecta coelibat-
us conditio masculo vel viduæ, ab ipso testatore relicta, pro
turpi habenda non est; Licet super ultimo casu varie discepta-
tum fuerit. Vid. iii. de indi. & viduit. toll. & Nov. 22. c. 44. & Dd. ibid.

AD POSIT. XLVII. XLIX.

Ex recte traditis in his posit. fuit, quod si quis legatarii
nomen in testamento rite condito postea deleverit, ac loco
ejus alius legatarius in margine vel supra scripserit, neutri
legatum deberi, cum primum declaratione voluntatis ad-
emptum sit, secundum requisitis suis destituatur. Notandum
quoque ex alleg. L. 18. ff. de leg. 3., quod, si quis, testamento rite
condito existente, aliud jure non perfectum condiderit, in
quo legata vel fideicommissa, in priori testamento relicta,
omissa, vel mutata reperiantur, hereditatem quidem ex pri-
mo testamento, utpote ratione hujus adhuc valido, deferrri,
legata vero, in posteriori testamento invalido non repetita,
non deberi.

AD POSIT. XLIX.

Quod legatum deletionem, vel alio modo citra testa-
mentum, vel Codicillos valide tamen ademptum, nihilomi-
nus ipso jure debeat, & tantum ope exceptionis heres ab
ejus,

eius præstatione liberetur, nec textibus ab Autore hic allegatis nec rationi juris convenit, sed tantum in *alleg. L. 3. in fin. de adm. vel transfer. leg.* deciditur, quod, si inter testatorem & legatarium, post huic adscriptum legatum capitales aut gravissimæ inimicitia intervernerint, licet legatum in testamento non deletum reperiat, tamen legatarium illud exigentem exceptione doli repelli. Simile quid deciditur, si res legata libere alienata & à testatore postea redempta fuerit in *L. 15. ff. eod.* ex quibus tamen singularissimis casibus non est formanda regula.

AD POSIT. L.

Quod eadem res, duobus divisim seu in diversis scripturis legata, utrique debeatur, pugnat cum §. 8. *J. d. legat.* ubi expresse deciditur, quod si ambo venerint ad legatum, non utrique totum, sed cuique pro parte præstandum sit, cuius exceptionem *J. C.* in *alleg. L. 33. d. legat. 1.* adducit, si testatoris mens ex Scriptura manifestissima sit, ipsum voluisse, utrumque legatarium solidum accipere, tunc enim uni pretium alteri rem ipsam assignandam, electione ei concedenda, qui primus de eo litem contestatus est.

AD POSIT. LI.

Quod, facta generali ademptione legatorum, nihilominus alimenta legatariis, vel etiam alimenta specialiter legata debeantur, idque ob favorem alimentorum, in *Alleg. L. 18. §. 3. ff. d. adm. legat.* non continetur, sed inibi tantum propositi alicujus singularissimi casus, voluntatis quaestio resolvitur.

AD POSIT. LII.

Lex Furia, ut & lex Voconia de moderanda excessiva donatione respectu singulorum legatariorum disponebant, quemadmodum & excessivæ donationes inter vivos, non nisi judiciali auctoritate permittantur, de quo supra. Simili modo largitiones, pro redimendis animis ex purgatorio, vel

vel sub alia præfensa pia causa Ecclesiæ ad incitamenta Pa-
palium Clericorum relinquendas, prudens Venetorum
Re p. ad certam eujusque patrimonii partem restrinxit. Qua-
les leges ad moderandum excessum vel defectum ultimarum
voluntatum merito pro statu religionis & reip. imitandæ
essent, & cum apud Protestantæ piæ largitiones magis exci-
tandæ, quam refræmandæ sint, non absolum foret Lege pu-
blica caveri, unumquemque ejus, quod ultima voluntate in
alios, quam quibus ab intestato debebatur, transferre vult,
certam partem ad minimum centesimam patrimonii, ad al-
limentationem pauperum, vel educationem orphanorum,
aut opus publicum sum *Zuchthause*, sub poena cassationis ejus
voluntatis largiri, illos etiam, qui ex ultima voluntate ali-
quid consequuntur, ad similem usum decimas præstare debe-
re, quod ad vota meliorum temporum rejicimus. Lex vero
Falcidia nimiam licentiam respectu universorum legatorum
temperat, cujus usus hodie raro occurrit.

AD POSIT. LXII

Interpretatio verborum initialium *Nov. 1.* ab autore hic
facta optime quidem convenit verbis initialibus ejusdem e-
pilogi, dum dicit, *legem illam latam, ut viventes reliquiis poti-
antur; & deficientes cum securitate moriantur*, non tamen plane
rejiciendus vulgaris sensus ejus, quod leges neminem sinant
in paupertate vivere, neque mori in anxietate, ad hoc scil.
vel ad excitandum fervorem in studio juris quisque certo
persuasus sit, illos, qui vim ac potestatem legem in prudenti
applicatione observare, & sic societati, in qua vivunt, prodes-
se sciunt, in quo vera Juris prudentia consistit, necessariis vi-
tæ subsidiis destitui non posse, cum illorum opera reipubl.
tam sit necessaria, & tam pauci inveniantur, qui cum divina-
rum & humanarum rerum notitia exactam justæ & injustæ
D scien.

scientiam habeant, ut tales non exiguam ejus remuneratio-
nem expectare, & optima cum conscientia tanquam sacer-
dotes justitiæ mori possint.

AD POSIT. LIV.

Verum quidem est, quod per L. Falcidiam ipso jure le-
gata eo usque diminuuntur, ut ille, qui eadem præstare jus-
sus, quartam partem suæ portionis salvam habeat, unde, si
res legata dividua sit, & legatarius eandem possideat, heres
ad Falcidiam consequendam ejus partem vindicare potest.
l. 26. ff. ad L. Falcid. attamen, si heres legata integra solverit, &
sic ipse, accedente traditione, dominium transtulerit, illo-
rum vindicatio quidem cessat, *§. 40. inst. de acq. rer. dom.* pro
eo tamen, quod ex errore facti, forte ignorans, grande
põstea emergens æs alienum heres solvit, ipsi conditio
competit. *l. 1. §. 1. ff. ad L. Falcid.* si vero in jure erraverit,
existimans ad integra legata solvenda se obstructum esse, se-
mel solutum non repetit. *vid. l. 9. C. ad L. Falcid.* quod secus
est in quarta Trebellianica ex fidei commissio universali de-
trahenda, restituta enim licet errore juris integra hæredi-
tate ex fidei commissio, tamen Trebellianicæ rationem ha-
bendam esse apparet ex *l. 68. §. 1. ff. ad SCm. Treb.* ubi *Go-
thofred. in not.* Cetera, quæ de quarta Falcidia non aucta in
hac posit. habentur, dubio carent.

AD POSIT. LVI.

Quæ in fine hujus posit. de Equis funeralibus, & alijs
ad pompam funeris pertinentibus expensis adducta, non a-
liter admittenda, quam de talibus expensis, quæ pruden-
tis judicis arbitratu pro facultatibus & pro dignitate de-
functi ex consuetudine provinciæ vel loci, ubi funus duci-
tur, requiruntur, non de illis, quæ ad merum luxum perti-
nent. *l. 12. §. 5. & l. 14. §. 45. 6. ff. de relig. & sumt. fun.* de
cete.

cetero potissimus usus ejus quod quarta Falcidia non sit portio hæreditatis, sed portio bonorum, in eo consistit, quod omnia onera æris alieni apud hæredem maneant, qui sibi imputet, si illa antea non deduxerit, quod secus est in quarta Trebellianica, utpote hæreditatis portione, qualem deducens postea pro quarta parte tantum creditoribus manet obstrictus. de quo infra

AD POSIT. LVII.

Cautela, quæ ex §. 2. in *fin. h. t.* adducitur, tantum locum habet, si damnum hæreditati ante aditionem vel im-mixtionem contigerit; illud vero quod de legato condi-tionali in fine hujus posit. adducitur, ex *alleg. l. 23. ff. h. t.* pro-bare non poterit, cum textus ille, de conditionali legato plane non agat, sed tantum disponat, quod peculium filii scil. profectitium, quale tempore aditæ hæreditatis existit, in Falcidiæ quartam computandum sit, utpote ad patrimonium patris pertinens.

AD POSIT. LIX.

Illud quod sub *n. 3. in hac posit. asseritur & seqq.* scil. computanda esse in quartam Falcidicam, quæ liberis loco le-gitimæ relinquuntur, non conveniunt cum posit. 56. supra, ubi ex *Nov. I. in præf. §. fin.* autor monet, quod ante compu-tationem quartæ Falcidicæ præprimis legitima liberorum NB. tanquam æs alienum deducenda sit, quamvis enim ad essentiam testamenti requiratur, ut si liberi vel parentes ad-sint, hi ad minimum in legitima instituuntur, vel ex hære-dentur, tamen legitima magis ex lege, quam ex testatoris voluntate illis, quibus debetur, obvenit, & sic quoque ratio hic adjuncta cessat. Cætera, quæ in *seqq. posit. adducuntur*, utut vera, exiguum tamen in praxi præstabant usum, cum de his raro controversia occurrat.

COROLLARIA.

I.

Post exæquationem legatorum cum fideicommissis legatum etiam citra solenne testamentum relinquere potest, dummodo quinque testes adhibeantur, proprium vero fideicommissum sine ullo teste recte relinquitur.

II. Legatum ad piam causam hoc potissimum privilegio gaudet, ut sponte non solutum, donec iudicis auctoritas intervenit, in duplo præstandum sit; quod hodie vix obtinet, dum favor sportularum iniquissimos etiam processus sustineat.

III. Legatum ad adimplendum superstiosum modum, & ita ad turpem causam relictum, nihilominus debetur; & ad alium convenientem usum adhibendum.

ULB Halle
003 486 338

3




5b

TA-100







B.I.G.



Farbkarte #13

Q. D. B. V. 1710 6/1

ARTATIO JURIDICA
LEGATIS,
NS COMMUNES

RUM ERRORES,
DISSERT. XVI.
INSTIT. JUR.
de RHEITZ,

Quam
MAGNIFICENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO,
PO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBURGICO
DEMURG. GUBERNATORE &c &c.
Æ S I D E

IMO ET JCTO FAMIGERATISSIMO
ICO BODEN,
ENTISSIMI REGIS BORUSS REGIM.
MADEB. CONSIL. ET PROF.
LONGE CELEBERRIMO,
ÆTATEM DEVENERANDO,
I FRIDERICIANA,
abr. Anni M DCC X.

defendet
LHELMUS de LÜDER,
MARCHICUS

acobi Krefſii, Acad. Typogr.